



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

Appendix Secunda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622



APPENDIX

SECUNDA.

PRIORA XXVIII. capita istius secunda ap-
pendicis, qua extant in editione Helma-
stadiensi, eadem omnino sunt cum primis XXVIII. prima ap-
pendicis, quam edidimus ex veteri codice MS. Parisien-
si; excepto tamen capite nono, quod non extat in editione
Helma-
stadiensi, & additum est ex codice Parisiensi Ita-
que capita tantum XXVII. ex his XXVIII. perti-
nent ad istam secundam appendicem; qua nos ob eam
causam heic omitti voluimus, ne repetitio inutilis fieret.
Exhibebimus autem bona fide editionem Helma-
stadiensem; nisi quod in margine, quantum fieri poterit, adno-
tabimus unde petita sint capita. quod in Helma-
stadiensi editione factum non est. Tum variantes quoque lectio-
nes, qua erunt alicujus momenti, adnotabimus etiam
in margine.

TITULI CAPITUM.

- | | |
|--|---|
| 28. NE sacerdos ve-
xetur. | 35. De ecclesiastica con-
troverfia testes. |
| 29. | 36. De medico malè cu-
rante. |
| 30. De demigrantia Cleri-
corum. | 37. De Clericorum ton-
sura. |
| 31. De odio in fratres. | 38. De puellis monialibus
factis. |
| 32. De odio. | 39. De laicis morientium
Presbyterorum substan-
tiam diripientibus. |
| 33. De lapsis sacerdotibus. | |
| 34. Ne sacerdotes Domi-
ni, sicut vulgus solet,
jurare compellantur. | |

Dd iiij

- 424 SECUNDA APPENDIX
40. De manso & decimis. 49. De viduis quæ professâ continentia prævaricantur.
41. Ne quis de servili conditione promoveatur ad clerum. 50. De viduis quæ viduitatem professâ sunt coram Episcopo.
42. De bonis ecclesiasticis. 51. De virginibus quæ infra xxv. annos necessitate cogente velantur.
43. De patrimonio Clericorum. 52. Non liceat mulieri sanctum velum acceptum dimittere.
44. De feminis quæ religionis vestem in domibus propriis mutaverint, si postea concubitum elegerint, quid agendum sit. 53. De communicantibus.
45. De viduis. 54. Cùm sacerdos moritur, quid de ejus rebus observetur.
46. De virginibus non velatis. 55. De accusatis sacerdotibus, sive etiam de optimatibus palatij, atque Gardingis.
47. Ne Clerici viduarum familiaritati associentur. 56. Ne quis sine actore condemnetur.
48. De viduis quæ Ecclesiæ stipendiis sustentantur.

INCIPIT TEXTUS

CAPITULORUM.

Ne sacerdos vexetur. *Ex Concilio Aurelianensi*
cap. VIII.

XXVIII. **R**ELATUM est sanctæ synodo quòd à malis Christianis plurimæ vexationes sacerdotibus Christi seu ceteris Clericis inferioris gradus sæpissime inferantur. Unde visum est sancto Concilio, ne postea talia existant, jaculo spiritali percutere, ut si quis Clerico aliquam injuriam seu ca-

lumniam ingesserit , à liminibus sanctæ Eccle-
siæ arceatur usque ad condignam satisfactio-
nem.

Ex Concilio Rotomagensi.

XXIX. *Capitulum manuscripto nostro
deest.*

De demigrantia Clericorum.

XXX. Cùm fraternitatem tuam confida-
mus canonum statuta & vigorem dirigere dis-
ciplinæ, hoc tibi indagandum mandare cura-
vimus, ne ingenui Clerici, qui capacioris &
argutioris sunt ingenij, ad loca quæ scientia &
doctrina excellentiora conspiciuntur, discendi
(*ditescendi*) gratia præ (*nisi habita*) utilitate
Ecclesiæ suique necessarij petendi *causa* trans-
cendant.

Invidia Pontificum sæpe prohibentur, dum
c. xx. Chalcedonensis Concilij eis opponunt,
ubi dicitur Clericos in Ecclesia administrantes
in alterius civitatis Ecclesia statutos fieri non
oportet, & sequentia invida obfuscatione abo-
lent, ubi illi excipiuntur qui ex necessitate ad
aliam Ecclesiam transferint. Magna sanè ne-
cessitate premitur qui fame constringitur; &
qui injuria arctatur insipientiæ, opus habet
refici doctrina scientiæ. Inter fugitivum deni-
que & studiosum cautè ab Episcopo discretio
prospici debet, ut ille locum delitescendi non
inveniat, isti verò locum in melius mutare &
ire de virtute in virtutem offendiculum non
opponatur, sed caritatis adjutorio, quæ nun-
quam excidit, sublevetur. Igitur si piè & justè

426 SECUNDA APPENDIX
recto currebant haecenus viam tramite vite,
pro religione perfectiora expetere loca licen-
tiam eis non denegandam esse censuimus,

De odio in fratres.

XXXI. Si quis odium contra fratrem suum injustè habuerit, hunc Deus à suo separat regno & à cœlo subtrahit; quia odium nec passione ei adimitur, nec martyrio expiatur, nec sanguine fuso deletur. Derrahere autem alteri per odium, sui commodi causa, magis est contra naturam quàm mors, quàm dolor, vel cetera hujusmodi mala.

Sanctus Gregorius dicit, item Augustinus, de odio.

XXXII. Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si malè amaveris, tunc odisti. Si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

Gregorius Papa de lapsis sacerdotibus.

S Gregor. lii 1
1. epist. 42.

* proficiant

XXXIII. De lapsis sacerdotibus, vel quolibet ex clero, id observari volumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione miscearis, sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secundum Deum vivere sciunt, & in eisdem monasteriis lapsos ad pœnitentiam trade, ut res lapsorum in eo loco * proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur; quatenus ipsi ex rebus eorum subsidium habeant qui de correctione eorum sollicitudinem gerunt. Si verò

parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur; ita tamen ut eorum stipendium qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeat procurari.

Si qui verò ex familia ecclesiastica sacerdotes vel * laici, vel monachi vel Clerici, vel ^{* Levitæ} quilibet alij lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum * ut ecclesiasticæ ^{* ecclesiastico juri non s.} non subtrahi. Ad usum tamen suum accipiant unde ad pœnitendum subsistant; ne si nudentur, locis in quibus dati fuerint onerosi sint. Si qui parentes in possessione habent, ipsis res eorum tradendæ sunt, ut in ipsis * Ecclesiæ ^{* juri Eccl.} conserventur.

Sacerdotibus autem externa potestate nullus dominus violentiam inferat; sed excellenti ^{I. dem lib 4. Indict. 13. epist. 31.} consideratione, propter eum cujus servi sunt, eis ita dominetur ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis sacerdotes aliquando dij, aliquando angeli vocantur. Et per Moysen de eo qui ad juramentum deducendus est dicitur: *Applica illum ad deos*, videlicet ad sacerdotes. Et rursus: *Diis non detrahes*, scilicet sacerdotibus. Et Propheta ait: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, ut legem requirant ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Quid ergo mirum si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos aut deos ipse etiam appellat Deus. Ecclesiastica testatur historia quòd cùm piæ memoriæ Constantino Principi oblatae accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fue-

rant Episcopos convocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit dicens: *Vos dy estis, à vero Deo constituti. Ite, & inter vos causas vestras disponite: quia dignum non est ut nos judicemus deos.* Antiquitus in republica Principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuerunt.

Hinc est ergo quòd, exceptis criminibus, neminem sacerdotum Gregorius deponebat, immo pro qualitatibus delictorum venialiter communionem privabat.

Si quando igitur super sacerdotum criminibus erat aliquid ventilandum, cum summa districtione grandique cautela Gregorius uniuscujusque capituli modulos quærens, sententiam suam magis difficulter quàm faciliter promulgabat dicens: Dum cuncta negotia indagandæ sollicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad dejectionem sacerdotalium graduum sunt districtiùs trutinanda, in quibus non tam de humilibus constitutis quàm de divinæ quodammodo benedictionis refragatione tentatur. Nam grave satis est & indecens ut in re dubia certa dicatur sententia.

Ne sacerdotes Domini, sicut vulgus solet, jurare compellantur. *Cornelius Papa Rufo orientali Episcopo.*

Cornel. Papa
epist. 2.
Burchard. lib.
1. c. 193.

XXXIV. Sacramentum hæcenus à summis sacerdotibus vel reliquis exigere pro fide relictum cognovimus, nec sponte eos jurasse reperimus. Summopere ergo sanctus Jacob Apo-

stolus prohibens sacramentum loquitur dicens: *Ante omnia autem, fratres mei, --- nolite jurare.* Hæc, fratres carissimi, ipse Dominus prohibet, id est, non debere jurare, sacramenta non exigi nisi pro fide recta. Hæc Apostoli maximè omnes hæc sancti viri prædecessores nostri, qui huic sanctæ universali & apostolicæ Ecclesiæ præfuerunt ante nos, hæc Prophetæ & reliqui sancti doctores per universum mundum dispersi ad prædicandum juramenta vetant.

De ecclesiastica controversia testes.

XXXV. Omnis controversia quæ de ecclesiasticis rebus fit, secundùm divinam legem sub duobus vel tribus testibus terminetur, dicente Domino: *Non unus stet contra alium, sed in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Similiter & de separatione conjugatorum, ut tres veraces homines hoc testificentur, si septem inveniri non valeant.

De medico malè curante.

XXXVI. Medicus infantem incautiùs curans, claudicantem effecit. Quæsitum est an gradum in clero talis mereri possit. Et visum est quòd hujusmodi debilitas, si alios bonos profectus ostenderit, eum à gradu non debeat prohibere.

De Clericorum tonsura.

XXXVII. Clericus si tonsuram dimissa uxore acceperit, qui quidem sit sine gradu, nec ad monasterium quodlibet à parentibus tradi-

Concil. Tribur. c. 27.
Burchard. lib. 8 c. 97.

430 SECUNDA APPENDIX
tus, si uxorem habere permittitur, iterum
tonderi cogatur, nec in vita sua tonsuram ne-
gligere audeat. Quem autem progenitores
tradiderunt, & in Ecclesia legit, nec uxorem
ducere nec monasterium deserere poterit. Sed
si discesserit, reducatur. Si tonsuram dimise-
rit, rursus tondeatur. Uxorem si usurpaverit,
dimittere compellatur.

De puellis monialibus factis.

Concil. Tri-
bur. c. 24.
Burchard. lib.
8. c. 98.

XXXVIII. Puella si ante duodecim an-
nos ætatis sponte sua sacrum sibi velamen al-
sumit, possunt statim parentes vel tutores ejus
id factum irritum facere, si volunt. At si an-
num & diem dissimulando contulerint, ulte-
rius nec illi nec ipsa mutare hoc poterunt.
Porro si in fortiori ætate adolescentula vel
adolescens servire Deo elegerint, non est po-
testas parentibus hoc prohibendi.

De laicis morientium Presbyterorum
substantiam diripientibus.

Vide supra
lib. 2. c. 39.

XXXIX. Perlatum est quoque ad san-
ctam synodum quòd quidam laici improbe
agant contra Presbyteros suos, ita ut de mo-
rientium Presbyterorum substantia partes sibi
vinditent sicuti de substantia rusticorum suo-
rum. Interdicimus itaque ne hoc ulterius fiat,
sed sicut liberi facti sunt ad suscipiendum gra-
dum & agendum divinum officium, ita ab eis
nihil exigatur præter Dei officium. De pecu-
lio verò sacerdotum nihil sibi usurpent; sed ex
duabus partibus faciant Presbyteri quod sibi
placuerit. Tertiam, secundum canonum iussa,

quibus serviunt relinquunt Ecclesiis.

De manso & decimis.

XL. Item sancitum est in Capitulari ne de manso Ecclesiæ, neque de decimis, neque de oblationibus, nec de domibus vel atriis juxta Ecclesiam positis, aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum. Si aliquid verò ampliùs habuerint, inde faciant servitium senioribus suis.

Concil. Vvor-
mac. c. 50.
Lib. 1. Capi-
tular. c. 91.
Burchard. lib.
3. c. 52.

Ne quis de servili conditione promoveatur ad clerum.

XLI. Nulli de servili conditione ad sacros gradus promoveantur, nisi priùs à dominis propriis legitimam libertatem consecuti fuerint; cujus libertatis carta ante ordinandum in ambone publicè legatur; & si nullus contradixerit, rite consecrabitur. Porrò si postea de gradu deciderint, ejus sint conditionis cujus fuerant ante gradum.

Vide supra
lib. 1. c. 407.

De bonis ecclesiasticis. *Ex epistola canonica.*

XLII. Nullus Episcoporum, Presbyterorum, seu Diaconorum, vel etiam Clericorum, prædia Ecclesiæ in potestate habeat venundare, sed nec cuiquam parentum suorum donare; & qui hoc egerit, sub omni celeritate, reddito pretio, ad loca sacra in quæ competunt revertatur. Si autem, hac observatione contempta, aliquis hoc præsumperit, res proprias in ipsa Ecclesia relinquat, & ipse foris ejiciatur, eò quòd divina congruat ratione ut

qui Ecclesias accipiunt, ad regendum, non ad dispergendum, accipiant. Simili modo nullam habeant potestatem quolibet modo alienandum neque venundandum, sed nec sine voluntate Pontificis sui vicarios dandum, aut liberis dimittendum. Qui hoc præsumpserit, ut superius censuimus, si habet proprietatem suam, aliud tantum restituat. Si non habuerit, expoliatus omnibus foras ejiciatur. Ipsæ tamen res ad Ecclesiam, cujus res sunt, revertantur.

De patrimonio Clericorum. *Ex Concilio Meldensi cap. xx i.*

Vide supra
lib. 1. c. 219.

XLIII. Investigandum an nihil patrimonij habens Presbyter quando provectus est ad ordinem ecclesiasticum, postea emerit prædia, cujus juris sint, annon Ecclesiæ esse debent. Unusquisque enim Presbyter proprias res, quas post diem consecrationis acquisiverit, Ecclesiæ relinquat. Si autem alieno nomine res comparaverit, & ibi structuras fecerit, vel quæ ad Ecclesiam ibi Deo collocaverit, contra decreta canonum hoc malum agitur, quia sacrilegium est, & par crimen --- furis esse dignoscitur qui sacras oblationes furabatur.

De feminis quæ religionis vestem domibus propriis mutaverint, si postea concubitum elegerint, quid agendum sit.

Lib. 7. Capitular. c. 257.
Burchard. lib. 8. c. 48.
Vide supra in 1. Append. c. 62.

XLIV. De viduis & puellis quæ habitum religionis in domibus propriis tam à parentibus quàm per se mutaverint, & si postea contra instituta patrum vel præcepta canonum conjugia

conjugia crediderint copulanda, tamdiu utri-
que habeantur à communione suspensi quous-
que quod illicitè perpetraverunt emendent.
Quòd si emendare neglexerint, à communio-
ne vel, omnium Christianorum convivio in
perpetuo sint sequestrati.

De viduis. *Epistola beati Gregorij Papæ Bo-
nifacio Archiepiscopo missa, in qua inter
cetera ita legitur decretum.*

XLV. Viduas à proposito discedentes vi-
duitatis, super quibus nos consulere voluit di-
lectio tua, frater carissime, credo te nosse à
sancto Paulo & à multis sanctis patribus, nisi
convertantur, olim esse damnatas; quas &
nos apostolica auctoritate damnandas & à
communione fidelium atque à liminibus Ec-
clesiæ arcendas fore censemus usquequo obe-
diant Episcopis suis & ad * bannum quod cœ- * bonum
perunt invitè aut voluntariè revertantur.

Burchard. lib.
8. c. 45.
Vide supra in
1. Append. c.
56.

De virginibus non velatis.

XLVI. A sanctæ memoriæ prædecessore
nostro Innocentio taliter decretum habemus:
*Haec verò quæ necdum sacro velamine tecta,
tamen in proposito virginali semper se simu-
laverunt permanere, licet velata non fuerint, si
nupserint, his agenda pœnitentia est, quia sponsio
earum à Domino tenebatur. Si enim inter homi-
nes solet bonæ fidei contractus nulla ratione dis-
solvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum
Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit. &
* contra. Nam si virgines nondum velatæ tali- * cetera.*
ter pœnitentia publica puniuntur & à cœtu fi-

Burchard. lib.
8. c. 45.
Vide supra in
1. App. cap.
47. & 56.

delium usque ad satisfactionem excluduntur, quanto potius viduæ, quæ perfectioris ætatis & maturioris sapientiæ atque consilij existunt, virorumque consortio multotiens usæ sunt, & velari se permiserunt, habitumque religionis assumpserunt, & tamen apostataverunt, atque ad * pejus votum sunt reversæ, à nobis & ab omnibus fidelibus à liminibus Ecclesiæ & cœtu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ & carceribus tradendæ, qualiter, juxta beatum Apostolum Paulum, tradentes hujusmodi hominem Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini. De talibus enim & Dominus per Moysen loquitur dicens: *Auferte malum de medio vestri.* De quibus & per Prophetam ait: *Letabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* De talibus namque & eorum similibus atque eisdem consentientibus (quia non solum qui faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt, rei sunt) Dominus per eundem Prophetam David loquitur dicens: *Videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* & multa alia eorumque similia. Tales ergo personæ indubitanter adulteræ esse manifestantur; * quum relicto immortali sponso, ad anteriorem ut canes ad proprium reversæ sunt vomitum, & apostatæ factæ, illicita ac sacrilega se contagione polluentes, viris mortalibus se conglutinantes. Quæ etiam, juxta eundem Apostolum Paulum, eo quòd --- viduitatis propositum dimiserunt, & fidem quam cum Deo pepigerunt frangere præsumpserunt, atque primam fidem præva-

* priorem vomitum

* quia

ricaverunt, sunt damnandæ à nobis. Quæ & à vobis & à reliquis nostri ordinis viris, à singulis videlicet sua in diœcesi, à liminibus Ecclesiæ & cœtu fidelium usque ad satisfactionem, ut prædictum est, sunt eliminandæ.

Ne Clerici viduarum familiaritati associentur.

Ex Concilio Carthagenensi cap. cii.

XLVII. Ad reatum Episcopi pertinet, vel Presbyteri qui parochiæ præest, si sustentandæ vitæ præsentis causa adolescentiores viduæ vel sanctimoniales Clericorum familiaritati subijciantur. Concil. Carthag. 4. c. 102. Burchard. lib. 8. c. 55.

De viduis quæ Ecclesiæ stipendiis sustentantur. *Cap. ciii.*

XLVIII. Viduæ quæ stipendio Ecclesiæ sustentantur, assiduè in opere Dei esse debent, ut & meritis & orationibus suis Ecclesiam adjuvent. Ibid. c. 103.

De viduis quæ professa continentia prævaricantur. *Cap. civ.*

XLIX. Sicut bonum est castitatis præmium, ita majori observantia & præceptione custodiendum est ut si quæ viduæ, quamvis adhuc in minoribus annis positæ, & in matura ætate à viro relictæ, se devoverint Deo, & vestes laicales abjecerint sub testimonio Episcopi, & post ad seculum redierint, damnentur, quia fidem castitatis, quam Deo devoverunt, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sint à Christianorum communionem alienæ, quæ etiam nec in convivio

436 SECUNDA APPENDIX
cum Christianis communicent. Nam si adul-
teræ conjuges reatu sunt suis viris obnoxia,
quanto magis viduæ, quæ Deo religiositatem
voverunt, crimine adulterij notabuntur, si de-
votionem, quam spontè Deo obtulerunt,
libidinosa voluntate corruperint, atque ad se-
cundas nuptias transitum fecerint; quæ eti-
am violentia irruente ab aliquo prærepta fuerint,
ac postea delectatione libidinis permanere in
conjugio raptoris vel violento viro consense-
rint, damnatione superiùs comprehensa te-
neantur obnoxia. De talibus enim dicit Apo-
stolus: *Cùm luxuriata fuerint, nubere vo-
lunt, habentes damnationem, quia primam se-
dem irritam fecerunt.*

De viduis quæ viduitatem professæ sunt
coram Episcopo. *Ex Concilio
Arausicano cap. ix.*

Concil. Arau-
sic. 1. c. 27.
Burchard, lib.
8. c. 43.

L. Viduitatis servandæ professionem co-
ram Episcopo faciendam & habitum imposi-
tum minimè violandum; ejus verò raptorem,
vel ipsam talis professionis deserttricem merito
damnandam decernimus.

De virginibus quæ infra xxv. annos necessi-
tate cogente velantur. *Ex Concilio Car-
thaginis Africae VIII. cap. xxvi.*

Concil. Mile-
vit. 2. c. 26.
Concil. Car-
thag. 7. c. 93.
* virginalis,
cùm

L. I. Placuit ut quicumque Episcoporum,
necessitate periclitantis pudicitia * *virginem*
velaverit, cùm vel petitor vel raptor formi-
datur, vel si etiam aliquo in mortis periculo
scrupulo compuncta fuerit ne non velata mo-
riatur, aut exigentibus parentibus Ecclesia
aut hi ad quos cura pertinet, velaverint virgi-

nem infra xxv. annos ætatis, ei non obfit Concilium quod de ipso numero annorum constitutum est.

Non liceat mulieri sanctum velum acceptum dimittere.

LII. Qualicumque modo mulier, permit-
tente canonicè viro suo, aut eo defuncto, ve-
lum sanctum acceperit in caput, aut sponte
aut invitè, in eo permaneat omnino, nec di-
mittat.

Lib. 5. Capi-
tular. c. 113.

De communicantibus.

LIII. *Quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indignè, vel immoderatè, vel inordinatè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*] Reus, id est, dignus ut damnetur ab ipso sacrificio, qui tantum mysterium ut vile despexerit. Scriptum est: *Omnis mundus manducabit ea. Anima que peccaverit, ut immunda exterminabitur de populo suo.*] *Indignè*; ut Dominus ait: *Si ante altare steteris, & ibi recordatus fueris &c.* Priùs perscrutanda est conscientia, si in nullo nos reprehendit; & post offerre aut communicare debemus. Quidam dicunt: Dominus non indignum, sed indignè accipientem, revocat à sancto. *Sed si dignus indignè accedens retrahitur, quanto magis qui non potest accipere dignè.* Unde oportet cessare à vitiis, ut sanctum Domini corpus sanctè percipias. *Probet autem*, id est, quærat an dignus sit. Qui enim manducat, dupliciter reus effectus est, præsumptionis scilicet & peccati. *Non dijudicans*, id est, non

Apud Rhaban. in fine libri primi de ministris Ecclesiar.

discernens à ceteris cibis. Ergo cum tanta sit plaga peccati atque impetus morbi ut medicamenta corporis & sanguinis Domini differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere corpus & sanguinem Domini, si quis eo tempore accipiat quo debet agere pœnitentiam. Sancti namque ac religiosi & Deo acceptabiles antistites cum sub tectum Dei intrant, ibidem Dominus per eos ingreditur, tanquam Deum suscipiant. Et quando pane vitæ & poculo frueris, quando manducas corpus & bibis sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Ubi verò indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur illi accipienti.

Cum sacerdos moritur, quid de rebus ejus observetur. *Ex Concilio Ilerdensi.*

Concil. Ilerd.
c. 16.

LIV. Licet de re hujuscemodi, quam constituere salubri ordinatione decernimus, prisca auctoritas canonum nequaquam siluerit, sed evidenti sanctione præceperit ut cujuscunque Ecclesie Pontifice defuncto, non passim pro libitu suo in earum rerum direptionem, quas obiens dereliquit, quisquis irruat, domumque subvertat, sed sacerdos qui exequiarum tempore adest, omnia quæ ad utilitatem & conservationem pertinent, debet diligenti circumspectione munire; tamen quia hæc ipsa sanctio, quod pejus est, à multis Clericis cognoscitur violari, ita ut occumbente sacerdote, * expectato affectu, totaque

* expectorato

disciplinæ severitate posthabita, immaniter
 quæ in domo pontificali reperiuntur invadant
 & abstrahant, id nunc omne hujus placiti vel
 constituti inter nos censura placuit custodire,
 ut defuncto antistite, vel etiam adhuc in su-
 premis agente, nullus Clericorum cujuslibet
 ordinis, officij, aut gradus, quicquam de do-
 mo auferre præsumat, vel de utilitate, quæ
 * instrumenti
 mobilibus & immobilibus rei ecclesiasticæ
 conetur invadere, nihil furto, nihil vi, nihil
 dolo suppressens, auferens, atque abscon-
 dens. Sed is cui domus commissa est, subjun-
 ctis sibi cum consilio * Clerico uno vel duobus * cleri
 fidelissimis, omnia usque ad tempus Pontificis
 substituendi debet conservare, & his qui in
 domo inveniuntur Clericis consueta alimenta
 administrare. * Subditus autem antistes sus- * Substitutus
 cepta ea, prout * decessor suus ordinavit, vel * decessor
 huic Deus inspiraverit, uti his debet quos co-
 gnoverit disciplinæ & caritati decessoris sui fi-
 deliter paruisse. Quòd si quisquam post hæc
 cujuslibet ordinis, ut superius dictum est, Cle-
 ricus quacunque occasione de domo Ecclesiæ
 vel de omni facultate quippiam probatus fue-
 rit abstulisse vel forsitan dolo aliquo suppres-
 sisse, reus sacrilegij prolixiori anathemate
 condemnetur, ut vix peregrina ei communio
 concedatur. Quia durum est ut hi quos constat
 in servitio Domini cum primæ sedis antistite
 defudasse, illorum qui suarum rerum incuba-
 tores vel utilitatibus servientes atque vacantes
 fuisse noscuntur despectibus aliquatenus cru-
 cientur.

De accusatis sacerdotibus, five etiam de optimatibus palatij, atque Gardingis.

Ex Concilio Toletano.

Concil Tolet.
13. c. 2.

* factione

* potentia

LV. Sed & collationis objectu res nostro cœtui lacrymanda occurrit, quæ tanto magis est synodalis judicij pondere abigenda, quanto majorem stragem populis affert pariter & ruinam. Etenim decursis retro temporibus vidimus multos & flevimus ex palatini ordinis officio cecidisse, quos & violenta professio ab honore dejecit, & trabale Regum * factione judicium aut morti aut ignominia perpetua subjugavit. Quod importabile malum & impietatis facinus exhorrendum religiosi Principis nostri animus abolere intendens, generali omnium Pontificum arbitrio retractandum invexit, & ultrici synodalis * pœnitentiæ auctoritate cohibendum statuit. Unde congruam devotioni ejus sententiam decernentes, hoc in commune decrevimus, ut nullus deinceps ex palatini ordinis gradu vel religionis sanctæ conventu regia subtilitatis astutia, vel profana potestatis instinctu, sive quorumlibet hominum malitiosæ voluntatis obnifu, citra manifestum & evidens culpæ suæ indicium, ab honore sui ordinis vel servitio domus regia arceatur, non vinculorum nexibus alligetur, non quæstioni aptetur, non quibuslibet tormentorum vel flagellorum generibus maceretur, non rebus privetur, non etiam carceralibus custodiis mancipetur, neque adhibitis hinc inde injustis occasionibus abdicetur, per quod illi violenta aut occulta vel fraudulenta

professio extrahatur. Sed is qui accusatur gra-
 dum sui ordinis tenens, & nihil de supradicto-
 rum capitulorum * nobilitate perferens, in * nobilitate
 publica sacerdotum seniorumque atque etiam
 Gardingorum discussione deductus, & justissi-
 me perquisitus, aut obnoxius reatui detectæ
 culpæ legum pœnas excipiat, aut innoxius ju-
 dicio omnium comprobatus appareat. Illos
 tamen quos in locis talibus manere constiterit
 unde nocibilis perfugij suspicio sit, aut eos
 quos pro conturbatione terræ diligentius
 oportet custodire, hos sine aliquo vinculorum
 vel injuriæ damno sub libera custodia consiste-
 re oportebit. Sic tamen, repulso omni terrore,
 sub circumspecta & diligenti custodia habeantur
 ut tempus quo judicari eos oportet, nullo
 modo sub fraudulentia dilatetur, quo ab ux-
 oribus vel propinquis atque etiam rebus suis
 diutissime separati, professionem suam videantur
 dedisse inviti; quæ tamenetsi data fuerit,
 modis omnibus non valebit; sed, juxta supe-
 riorem ordinem, illud pro vero accipietur
 quod ex ore ejus agnitum generali fuerit judi-
 cio comprobatum. Nam & de ceterorum in-
 genuorum personis, qui palatinis officiis non
 * conferunt, & tamen ingenuæ dignitatis titu- * hæserunt
 lum reportare videntur, similis ordo servabi-
 tur; qui etiamsi pro culpis minimis, ut adso-
 let, flagellorum ictibus à Principe verberen-
 tur, non tamen ex hoc aut testimonium amis-
 suri sunt, aut rebus sibi debitis privabuntur.
 Quod si de infidelitatis crimine quicquam eis
 objicitur, simili, ut superius præmissum est,
 ordine judicandi sunt. Quod synodale decre-

tum, divino, ut confidimus, spiritu promulgatum, si quis Regum deinceps aut temeranter custodire neglexerit, aut malitiosè præterire prælegerit, quo quisque de personis taxatis aliter quàm præmissum est prædamnetur, aut * ex factione conjectæ in eum malitiæ perimatur, vel dejectus sui ordinis loco privetur, & cum omnibus qui ei ex delectatione consenserint, in conspectu altissimi Dei Patris & unigeniti Filij ejus atque Spiritus sancti perenni anathemate ultus, & divinis vel æternis * abdicetur ardoribus concremandus. Et insuper quicquid contra hanc regulam sententiæ nostræ aut in persona cujusquam fuerit actum, aut de rebus accusatæ personæ extiterit judicatum, nullo vigore subsistat, quo persona ipsa aliter quàm decernimus judicata aut testimonij sui dignitatem amittat, aut quæstu rei propriæ careat. Nec * tamen per hæc & hujusmodi statuta Principibus domesticæ correptionis potestas adimitur. Nam specialiter de laicis illis quos non culpa infidelitatis adstringit, sed aut servitij sui officio torpentes aut in commissis sibi actibus reperiuntur esse mordaces vel potiùs negligentes, erit Principi licitum hujusmodi personas absque aliqua eorum infamia vel rei propriæ damno & servitij mutatione corrigere, & in * locum talium alios qui placeant transmutare.

Ne quis sine actore condemnetur. *Ex Concilio Toletano v I. tit. XL.*

Concil. Tolst.
6. C. 11.

LV I. Dignum est ut vita innocentum non maculetur pernicie accusantium, adeo ut

* astu congestæ mal.

* abdicetur

* enim hæc & alia promentes Princ. d. correct.

* commissos talium.

quisquis à quolibet criminatur, non antè accusatus supplicio deducatur quàm accusator præsentetur, atque legum & canonum * sententia exquiratur; ut si indigna ad accusandum persona inveniatur, ad ejus accusationem non judicetur, nisi ubi pro capite regiae majestatis causa versatur.

Remotis igitur ab inimicitiiis, ab insidiis, à mendaciis, remotis ab omni genere flagitiorum sive facinorum, ipsis scilicet Presbyteris qui accusati fuerint, quomodo convincantur, aut quomodo defendantur. Apostolus enim ad Timotheum loquitur dicens: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.* Dominus in evangelio Judæis dicit: *In lege vestra scriptum est quia duorum hominum testimonium verum est.* De accusatoribus verò Clericorum in canonibus satis invenitur, & maximè in Carthaginensi Concilio, ut accusatoris quaeratur fides & conversatio. Si autem Presbyteri & Diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum, quos ab Episcopo accusati petierint, una secum in presbyterij nomine sex, in nomine diaconij tres, ipsorum causas discutiant.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.